



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

5. Apollo, cur Musarum Præsec?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

bus meis. Posterorum negotium ago. Illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo. Epistol. 7. & 8. Quàm multos à sapientiæ studio impediunt circumvolantes picæ, negotia inquam, quæ faciunt turbæ domesticæ, & harum motrices feminæ. *Beatus ille, qui procul his negotijs.*

V. (e) Apollo Musis præsidet, quia *Sol*, id est, *Dies*, & *Dem* favent studijs; ille lumen oculis; hic menti suppeditat. Testatur hoc Seneca ad Lucilium, epist. 16. Litteræ formant animum & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuum dirigunt cursum. Confirmant hæc sacræ sapientiæ antistites: *Diligite lumen sapientiæ* ait Salomon Sap. 6. & Siracides cap. 1. orditur suas ad sapientiam institutiones his verbis: *Omnia sapientia à Domino Deo est.* Et Musæ licet virgines sint, non tamen omnis labendi periculi expertes sunt; nam & superbiâ nimium insolescere, & vanitate vilescere possunt. Opus igitur Rectore, & quidem perspicaci, qualis Apollo seu Phœbus est, omnia lustrans, omnia penetrans. Quod nisi fiat, quoties longo vel carmini, vel orationi, vel scriptioni unica deerit syllaba, scilicet *Mens*, seu *judicium*! nihil delicatius concentu, quem profitentur Musæ.

(e) *Apollo seu lumen, Musis est necessarium.*

## SYMBOLUM XXVII.

Proserpina, Cereris filia, à Plutone rapitur.

s. *Metam. Claudianus de Raptu.*

Ethicè.

1. Castitas indiget Custodiâ. 2. Voluptatis lenocinium. 3. Castitatis periculum in hortis. 4. Insidiæ castitatis.

**V**Nica proles erat Cereris, frugum *Dex*; nomine *Proserpina*, flos ætatis & castimonie. Hanc, in Phrygiam abitura parens, reliquit in Sicilia insula, tutissimo, quemadmodum rebatur, munitissimoque loco adversus procos servandam: monitis ei datis, ne quæ se absente prodiret unquam & usquam. Venus, ut est insidiosa juventutis venatrix, cum Virginem vetitis amoribus irretire desperaret, excitavit inferos, & Plutonem ipsum, Erebi regem, in desiderium rapiendæ puellæ accendit.